

D E F U N C T I

† P. Bartholomaeus Bédon (1863-1954)

*(Vice-Prov. de Santiago)*

Die 8 octobris 1954, animam Deo reddidit P. Bartholomaeus Bédon, nostrae Vice-Provinciae de Santiago veteranus, aetate longe primus, quippe qui vitam unius et nonaginta annorum degere potuit. Natus in Gallia in pago Dogneville, Provinciae Lorenensis, die 22 (23?) augusti anni 1863 et sequenti die baptizatus, infantiam bene morigeratam, vigilanter atque, ut aiebat, viriliter a christianis parentibus directam vixit. Anno post primam communionem elapso iuvenatum de Houdemont, postea in Contamines translatum, ingressus est. Cursibus humanitatum, ut aiunt, completis novitiatum petit et, post habitum in Geleen induitum, professionem in novitiatu de Stratum (Eindhoven) emisit, die 24 septemboris anni 1882. Labente cursu anni 1883 subdiaconatum ab episcopo Sancti Deodati accepit et expletis cursibus in domo studiorum superiorum de Dongen, diaconatus primum, mense martio anni 1887, et mense iunio sequenti presbyteratus ordinem, ab episcopo Bredensi (1). Inde per duos annos, in ipsa domo studiatus, cursum philosophiae dedit et optimi professoris famam iure acquisivit. Ab anno 1889 ad 1893 missionum laborem optimo exitu complevit, inter comites audientesque admirationem pro sua ferrea logica et exponendi convincendique eximia facultate excitans. Opus apostolicum relinquens, cathedram philosophiae in domo de Thury per quattuor annos iterum occupavit, ibique professoris et philosophi typum praeclarum se exhibuit.

Cum autem tempore illo, Sancti Iacobi de Chile studiorum praefectus, Pater Ioannes Dosda, constanti et admodum tensa studiorum et studentium attentione debilitatus, magis ac magis ad scrupulorum perturbationem declinaret, illuc missus est Pater Bartholomaeus, ut tamquam praefectus, Sancti Iacobi primum, deinde S. Bernardi, studentium studiorumque ordinationem assumeret; quo munere optime certe functus est, studiorum quippe gradum et pietatis religiosae altissime levavit. Post sex annos, domo studiorum relicta, labores missionales iterum e variis conventibus aggressus est in Vice-Provincia. Et denuo admiracionem ferrea sua profundaque praedicationis argumentatione sibi captavit.

---

(1) Interea frater eius germanus, Stanislaus, etiam Congregationem ingressus erat. Natus anno 1867, vota emisit anno 1886. Mortem obiit anno 1948.

Anno autem 1910 a Superiore Generali ad domum nostram de Lima missus est, quae in statu oeconomico valde incerto et periculo versabatur. Ibi, tamquam Rector, per tres annos, applicata suae praeclarae intelligentiae aptitudine, pecuniae debita non solvit tantum, sed statum oeconomicum fixis et securis ingressibus firmavit et auxit. Talis fuit ingenii eius actuatio et tam efficacis industriae ut a Rectore Maiore, nomine Congregationis, domus Limensis et proprio, gratias enixas receperit.

Post aliquod tempus operibus apostolicis in peruana regione consecratum, ad Rempublicam Chilensem regressus, missionibus denuo totum se impendit. Ibi post varias mutationes, tandem anno 1931 Cauquenensi domui adscriptus est, ac in missionibus strenue adlaboravit usquedum permisit valetudo. Tum vero indefessa assiduitate tam praedicationi quam confessionibus audiendis in tribunali paenitentiae sese totaliter destinavit. Huic labori continuo usque ad ultimos tres annos largissimae vitae opem assiduam adiungebat canticis et organis in Missis et aliis solemnitatibus.

Intra 23 ultimos annos amplissimam aestimationem affectumque optimi populi Cauquenensis sibimet ita lucratus est; ut in illius solemnitate funerali demonstratum est. Ingens enim pauperum et divitum turba, quasi populi totalitas, urnam funerariam comitata est.

P. Bartholomaeus Bédon tota vita exempla religiosae observantiae et abnegationis praebuit. In ultimis proiectioris suaे vitae annis, curam Fratris Francisci infirmi, ad totalem virium impotentiam reducti, ut munus proprium et exclusivum sumere voluit; eique fuit medicus, assistens, mater et servus in omnibus necessitatibus. Et sic fortasse mercedem eiusdem caritatis sibi lucratus est pro tribus ultimis annis vitae suaे. Etenim ab alio Fratre Francisco eadem caritate perfrui potuit: in illo pariter medicum et consistentem, matrem et servum unicum, cum eadem totali abnegatione, ad ultimum usque diem reperivit.

Erat P. Bartholomaeus Bédon in ordinario vitae cursu commercii facilis ac iucundi et, ut dixi, intelligentiae notabilis. Attamen non omnino fugiebat defectum sui intellectus logici; non semper cavebat a periculo nimii rigoris in inductione, huius veritatis quandoquidem oblitus: rigorem in principiis et in suis conclusionibus non semper personis stricte applicari posse. Haec in eius vita umbra, alias eius eximiæ virtutes in sua quaque luce pulcherrimas splendescere permittebat.